



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis  
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -  
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput II. Temperantiæ partes velut integrantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)



ac divinæ Legis regulam in earum usu excedit. Esse peccatum in suo genere mortale, constat ex dictis, & dicendis de luxuria & gula.

## CAPUT II.

*Temperantia partes velut integrantes.*

93 **S**upponit S. Thomas alias esse partes integrantes alicujus virtutis, alias subjectivas; alias potentiales. Partes integrantes sunt conditiones requisitæ ad aliquam virtutem. Partes subjectivæ sunt diversæ ejus species. Partes potentiales sunt accessoriæ virtutes, quæ non versantur circa materiam virtutis principalis, sed simili modo versantur in aliis materiis.

94 Partes itaque temperantiæ velut integrantes, sunt verecundia & honestas. Quia sunt conditiones illam complentes. Per verecundiam enim animus abhorret à turpitudine temperantiæ opposita; per honestatem, temperantiæ amat decorem.

*Verecundia* itaque est timor & horror turpitudinis, & vituperii intemperantiam consequentis. Illam commendat Apostolus 1. Timoth. 2. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus. Ordo vite nobis tenendus est* (ait Ambrosius l. 1. offic. c. 18. & 43.) & à verecundia prima quadam fundamenta ducantur, quæ sociæ ac familiaris est mentis placiditati, proterviam fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit. . . Pulchra virtus est verecundia, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum transgrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum libat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Silentium quoque ipsum. . . maximus actus verecundia est. . . Est & in oculis verecundia, ut nec videre virum femina, nec videri velu. . . Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus etiam in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut lenior, aut jactantior, aut turbidior; aut contra, gravior, & constantior, & purior, & maturior estimatur. Inverecundum est sensim ambulando imitari histrionicos gestus, & quasi quadam fercula pompæ, ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Inverecundum quoque cursim ambulare, nisi cum causa exigat alicujus periculi, vel justa necessitas. Est gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit & affectatio, sed motus sit purus & simplex. Nihil enim fucatum placet. Multo magis inverecundum est, siquid turpe ore exeat.

Tom. II.

*non enim cibus coinquinat hominem, sed injusta obirelatio, sed verborum obscenitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt. . . . Et non solum nihil indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hujusmodi præbere dictis. . . . Quoniam quæ delectat audire, alterum loqui provocat. Partes corporis, quas natura, mater verecundia, tegere jubet, detegere, aut spectare pudor est. Si casu aperiantur, confunditur verecundia. Si studio, impudentia estimatur. Sed & earum indicia, ususque suis appellationibus nuncupare indecorum est. Ex his satis apparet, quid sint inverecundia, & impudentia, vitia verecundia opposita.*

*Honestas* est virtus inclinans ad cavenda quæcumque inhonesta sunt, vel indecora, maxime in esculentis, poculentis & venereis. Ad ipsam pertinet illud Apostoli 1. Cor. 14. *Omnia vestra honestè, & secundum ordinem fiant. Querendum in omni actu, quid personis, quid temporibus conveniat, atque ataribus* (ait rursum Ambrosius lib. 1. offic. cap. 43. & 45.) *Sæpe enim, quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni, aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Non mediocre est rebus singulis modum servare, atque impartiri ordinem, in quo verè pralucet illud, quod decorum dicitur, quod ita cum honesto conjungitur, ut separari non queat. Siquidem & quod honestum decet, & quod decet honestum est. . . . Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat. . . . Solliciti debemus esse, ne quid temerè, aut incuriosè geramus, aut quidquam omnino, cujus probabilem viris sapientibus non possimus rationem reddere. Quia, ut paulò antè dixerat, negligere bonorum iudicia, vel arrogantia, vel dissolutionis est. Dixerat etiam cap. 9. quòd etiam si Philosophi Ethnici honestum ab utili discernant, discernere non debeant Christiani. Nos quippe nihil utile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, desinimus, non quod ad delectationem presentis. Est igitur non solum familiare contubernium honestatis, & utilitatis, sed eadem quoque militas, quæ honestas. . . . Qui profectò sapi, nescit sua spectare commoda; sed ad illud, quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto affectu intendit, quærens, non quod sibi utile est, sed quod omnibus, id est quod utile est ad vitam æternam, quæ est finis omnium.*

## CAPUT III.

*Partes subjectivæ, seu species temperantiæ.*

96 **Q**uatuor sunt species temperantiæ, scilicet abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia. Cum enim virtutes ab objectis specificentur, temperantiæ species variæ sunt pro materiæ vel objecti varietate. Quia verò temperantia versatur circa delectationes gustûs, & tactûs, seu cibi, potûs, & ven-

Oo 2